

inimicis suis: Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.<sup>1)</sup> Audiamus, turbatus in ira quid dixerit: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam?<sup>2)</sup> Illi ergo ad iracundiam provocabant, hic tranquillitatem eligebat. Jam dixerat: Irascimini et nolite peccare.<sup>3)</sup> Moralis magister, qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinae, quam extirpandum noverat, moralia docet. Hoc est: Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur: alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio judicatur. Irascimini ergo ita, ut culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic: Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, et non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam continet, quam qui urbem capit: quia ira etiam fortis decipit. Cavere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos nostros ratio componat. Examinat enim mentem plerumque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, et improviso percellit ictu. Ideo praevenire pulchrum est cogitatione, quae volvendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed jugo quodam rationis et habenis constricta mitescat.

DE COGITATIONIBUS, ET APPETITU, ET DECORO SERMONIS IN  
CONFABULANDO, ET IN DISCEPTANDO.

Sunt autem gemini motus, hoc est, cogitationum et appetitus: alteri cogitationum, alteri appetitus: non confusi, sed discreti et dispares. Cogitationes verum exquirere, et quasi emolere muneris habent: appetitus ad aliquid impellit agendum atque excitat. Itaque ipso genere naturae suae et cogitationes tranquillitatem sedationis infundunt, et appetitus

1) Ps. 54. 2) Ibid. 3) Ps. 4.